

Mythologia, Francfort, 1581 - V, 03 : De Nemeis

Auteur(s) : Conti, Natale

Collection Mythologia, Venise, 1567 - Livre V

Ce document est une version augmentée de :
[Mythologia, Venise, 1567 - V, 03 : De Nemeis](#)

Collection Mythologie, Paris, 1627 - Livre V

[Mythologie, Paris, 1627 - V, 04 : Des Nemeens](#) est une transformation de ce document

Collection Mythologie, Lyon, 1612 - Livre V

[Mythologie, Lyon, 1612 - V, 03 : Des jeux Nemeens](#) est une traduction de ce document

Informations sur la notice

Auteurs de la noticeÉquipe Mythologia
Mentions légales

- Fiche : Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle). Licence Creative Commons Attribution – Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR)
- Images : Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ).

Citer cette page

Conti, Natale, *Mythologia*Francfort, 1581 - V, 03 : De Nemeis, 1581

Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle)

Consulté le 03/02/2026 sur la plate-forme EMAN :
<https://eman-archives.org/Mythologia/items/show/5956>

Copier

Présentation du document

PublicationFrancfort, André Wechel, 1581
ExemplaireRegensburg (Allemagne), Staatliche Bibliothek, 999/Hist.pol.1307
Formatin-8
Langue(s)

- Grec ancien

- Latin

Paginationp. 436-437

Notice créée par [Équipe Mythologia](#) Notice créée le 28/12/2018 Dernière modification le 25/11/2024

CELEBRABANTUR Nemea in sylua quadam ita vocata, quæ fuit inter Phliuntem & Cleonas Achaïæ ciuitates, in Archemori Lycurgi filij honorem, quoniam in illa sylua dicitur à serpente mortuus interiisse. Alij dicunt quòd septem duces Argiui opem ferentes Polynici militantes ad Thebas in Lemnum Thraciæ profecti siti correpti in Hypsipylen Lemniam inciderunt, quæ Lycurgi sacerdotis Iouis & Eurydice filium Opheltam ferebat. Hæc rogata tanquam perita eius regionis ut aquam ostenderet, dux fuit illis ducibus ad fontem, relicto puero in quodam prato, quem serpens repertum & spiris circa collum conuolutus necauit. Duces eò profecti re visa serpentem interemerunt, atque in triennium quodque certamen funebre instituerunt. certabant in illis milites aut militum filij tantum prius, quamuis vulgus postmodo fuit admissum. Dicitur à Theagene in rebus Aeginetis illa de causa è Lemno in Nemeam confugisse, quòd statutum fuerat apud Lemniades ut omne genus marium de medio tolleretur, atque cum mares omnes fuissent trucidari, sola Hypsipyle Thoantem patrem in arca seruauit. Illud cum patuisset Lemniis, ubi argonautæ essent abnauigaturi, ipsum demerserunt in arca inclusum, at Hypsipylen propter pietatem erga parentem capitis condemnarunt. illa his auditis fugit, atque capta à piratis in itinere Lycurgo diuendita fuit. Eurydice igitur Lycurgi uxore volente Hypsipylen interimere ob mortem filij, atque Hypsipyle latente in quodam loco occulto hæc ipsa de causa, Amphiaræus vaticinatus est, eamque indicauit Thoanti ac Eriæneo quærentibus filiis, quorum opera & ducum Argiuorum beneficio fuit seruata. Fuerunt verò eadem ludicra in his, quæ etiam in superioribus instituta, at victores apio coronabantur, quæ funebres erat planta: idque ad perpetuam Archemori memoriam. Alij Nemea instituta fuisse maluerunt ab Hercule, quia Nemezum leonem ibi occiderit. alij ob Opheltam (ut diximus) qui per propriam mortem in Thebas militantibus Lacedæmonis vaticinatus fuit: erat enim certamen epitaphium siue funebre, in quo milites aut militum filij solum primum certabant, quamuis & populus in id postea fuit admissus. alij non ob illum prædictum Opheltam, sed ob Opheltam

tem Creusæ & Euphetæ filium instituta fuisse Nemea crediderunt, qui ictus fuit à dracone absente Hypsipyle nutrice, cum illa aquatum iuisset, quod ab illa aquam Argivi petiverant. Instituta verò sunt illi Nemea ad Hypsipylæ consolationem, quæ etiam à nigris vestibus & lugubribus indutis iudicibus iudicabantur. Dictus postea fuit hic Opheltæ Archemonis, quia illi mortem Amphiaræus vaticinatus esset à principio vitæ. nam ἀρχὴ principium, μῆρος mortem significat. Coronabantur (ut fama est) antiquitus oliua victores Nemeorum, sed post cladem à Medis captam in honorem caesorum apio funebri planta coronari cœptum est. Dicta fuerunt Nemea à bobus, quæ Argivæ limoni erant consecratae, quæ in ea sylva pascebantur. Alij maluerunt Nemeam vocatam fuisse quandam regionem Argivorum à bobus Iouis & Lunæ ibi pascentibus. Alij à Danaï filiabus, quoniam regio fuisset illis in capita distributa. His ludis enim Argivi & Corinthij & Cleonæi homines præerant. Lucianus in dialogo de Gymnasiis ita mentionem fecit de singulorum horum certaminum præmiis: ὁ ἀντιπρόσωπος μὲν ἐν Ὀλύμπῳ, ἡ δὲ ἐν Ἰσθμῷ, ἡ δὲ ἐν Πύθῳ, ἡ δὲ ἐν Νέμει. in Olympicis quidem ex eleastro, in Isthmiis ἐπινῆ, in Nemeis ex apio corona connexa, at in Pythiis mala Deo consecrata a visitantibus erant proposita. Atque huic certaminum generi apium iure convenire cœlebatur, quoniam ex occisi à serpente pueri sanguine apium herba nata esse credatur. Non defuerunt qui in honorem Archemoni primùm instituta fuisse dixerint Nemea, at ab Hercule fuisse in melius correctæ, cum leonem Nemezum occidisset: qui illi postea Ioui consecravit, & post triennium, tempus peragendis statuit diem duodecimum eius mensis, qui πέντεμος à Corinthiis, ab Atheniensibus autem πέντεμος dicebatur, quia eo mense Theseus Amazonas debellavit, atq; Cretenses demum iudices sunt electi, at nunc de Isthmiis dicamus.

De Isthmiis. CAP. IIII.

SCRIPTUM reliquit Plutarchus in vita Thesei, Theseum ipsum Isthmia in honorem Neptuni, ad imitationē Herculis, qui Olympia Ioui consecravit, instituisse: quippe cum illa quæ in honorem Melicertæ fierent, noctu agerentur, &